Cena domini est prefigurata fuit in agno paschali
Qui sia qita anni pascue a iudeis solebat manducari
Hunc agnum dominus prius precepit filiis israel manducare
Qui decreuit eos de egypciaca captiuitate liberare
Ita xpc sacramentum eukaristie tunc primum instituit
Quando nos de dyabolica potestate eripere voluit
Qui filii israel agnum paschalem manducabant
Succincti erant baculos manibus tenebant et stabant
Ita communicantes debent esse succincti per renes et corporis castitatem
Et tenere baculos in manibus per rectam fidei firmitatem
Debent eciam erecti stare in bona vita quam inchoauerunt
Et non se iterum reponere in lutum de quo surrexerunt
Agnus edebatur cum lactucis agrestibus que sunt amare
Et nos debemus corpus domini cum amara contricione manducare
Qui comedebant agnum tenebantur pedes suos calciare
Et per pedes solet sacra scriptura desideria designare
Communicantes ergo pedes suos calciare tenentur
Cauendo ne desideria eorum sorde aliqua macularent
Agnus paschalis non fuit coctus aqua sed assus igne
Et communicans debet esse ignitus caritate ut manducet digne
Xpc eukaristiam sub specie panis et vini donauit
Hoc olim melchisedech rex et sacerdos prefigurauit
Quatuor reges terram in qua abraham habitabat vastauerunt
Et multa spolia et loth cum multis captiuis abduxerunt
Abraham autem cum suis ipsos insequebatur
Et percuciens eos cum captiuis ad propria reuertebatur
Occurrit ei autem melchisedech offerens sibi panem et vinum
In quo prefigurabatur hoc sacramentum diuinum
Melchisedech erat rex et sacerdos dei altissimi
Et gerebat figuram domini nostri ihesu xpi
Xpc enim est rex qui omnia regna creauit
Hic eciam est sacerdos qui primam missam celebrauit
Melchisedech sacerdos et rex panem et vinum obtulit
Xpc sub specie panis et vini hoc sacramentum instituit
Quapropter sacerdos secundum ordinem melchisedech appellatur
14° Quia sacramentum in oblacione melchisedech prefigurabatur
Melchisedech erat sacerdos et eciam princeps regalis
In quo pulcre figurabatur dignitas sacerdotalis
Sacerdotes enim bene possunt dici principes regales
Quia in dignitate precellunt omnes principes mundiales
Excellunt eciam in potestate patriarchas et prophetas
Et eciam quodammodo ipsas virtutes angelicas
Sacerdotes enim sacramentum conficiunt quod angeli facere nequiunt
Nec patriarche nec prophete olim facere potuerunt
Per mariam filius dei semel olim incarnabatur
Per sacerdotem autem sepius panis in carnem eius transsubstanciatur
Sacerdotes igitur propter sacramentum debemus honorare
Quos xpc confectores sui sacramenti dignatus est ordinare
O bone ihesu da nobis tuum sacramentum ita venerari
Ut a te nunquam mereamur in perpetuum separari

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0059
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt